



Ioannes patre comite à Vuerdenberg, et matre comitissa Vuirtenbergenſi natus fuit. Is cum eruditione & pietate insigni præditus esset, Anno 1463 Episcopus Augustanus electus fuit. Eam dignitatem adeptus in primis cum ciuibus eius loci, quos hactenus antecessores exagitarāt, pacem confecit, deinde omnia in Ecclesijs ordine constituit. Cum etiam habitationē extra urbem aliquā exoptarent, arcem pulcherrimam in Dillingen ædificauit. Erat Ioannes ob morum castitatem & rerum prudentiā Friderico Cesarī gratissimus. Itaq; ei filium suum Maximilianum educandum tradidit. Hunc Ioannes diu apud se retinuit, atq; suo exemplo ipsum & alios ad uirtutes pellexit. Cum hoc modo per septendecim annos pie præfulisset, tandem Maximilianum cum alijs principibus Franckofurtum comitatus est, ut ibidem anno 1486, atq; ætatis eius uicesimo in Roma norum regem eligeretur. Ibi cum existeret obijt, atq; magno omnium luctu sepultus fuit. Eius sepulchro hi uersus inscripti fuerunt:

Ex Vuerdenberga comitum de gente Iohannes
Præfulis Avgustæ hoc sunt sita membra solo.